

IN LIBRUM PRIMUM

E P I T O M A.

VEnetarum rerum Ligusticarumque ad Romanas & Punicas per comparationem relatio: Cum Genuensibus exeunte induciarum tempore secundo coeptum est bellari; Pera a Venetis combusta est: Joannes Superantius in Pontico mari, post præclara gesta aliquot, navales turmas frigore amisit: Veneti ad Corcyram Nigram victi classem ingentem amisere: Nec multo post circa Hellespontum pari ferme clade sunt victi: Pax iterum cum Genuensibus secuta: Respublica Bœconia conjuratione ingens discrimen adiit: Veneta classis ingentem ex Græcia prædam deportavit: Venetis ob Ferrariam occupatam omnium gentium commercio interdictum est: Quo tempore publica libertas ob atrocissimam civium conjurationem ægre est retenta: Jaderensibus rebellantibus, Veneti aliquandiu in Dalmatia bellarunt: Divo Dominico ædes erecta est: Civitas Francisci Danduli opera a Pontificis interdicto liberata: Vetus navale per id tempus auctum: Classis in Ponticum mare missa aliquot Genuensibus naves ademit: Recens Cretensium rebellio continuo oppressa est: Veneti Patavinis iterum servitutis jugum exemere: Bellum in Histria renatum Venetos ad arma revocavit: Expeditio in Turcos decreta, Gallis cessantibus, discussa est: Veneti Florentinique in Scalanos foedus percussere.